

mearunt? Non ergo excedit fidem quod Virgo  
 peperit, quando legimus, quod Petra vomuit  
 aquas, & in montis speciem maris unda so-  
 lidata est. Non ergo excedit fidem, quod homo  
 exiit de Virgine, quando petra profuxit,  
 scaturivit ferrum super aquas, ambulavit  
 homo super aquas: Ergo si hominem unda  
 portavit, non potuit hominem Virgo generare,  
 atque hominem, de quo legimus: Et mittet  
 illis Dominus hominem, qui salvos faciet eos,  
 & notus erit Dominus Aegyptiis? Hierony-  
 mus lib. 1. contra Jovinianum cap. 18.  
 Loquatur Isaias spei nostræ, fideique  
 mysterium: Ecce Virgo in utero concipiet,  
 & pariet filium, & vocabis nomen ejus  
 Emmanuel. Scio Judæos opponere solere,  
 in hebræo verbum *alma* non virginem  
 sonare, sed adolescentulam. Et revera  
 Virgo proprie *Bethula* appellatur; adole-  
 scentula autem, vel puella, non *alma* dicitur,  
 sed *naara*. Quid est igitur quod signi-  
 ficat *alma*? Absconditam Virginem, id est  
 non solum Virginem, sed cum *intra*  
 virginem: quia non omnis virgo abscon-  
 dita est, nec ab hominum fortuito separa-  
 ta conspectu. Denique & Rebecca in  
 Genesi ob nimiam castitatem, & Ecclesie  
 typum, quem in sua virginitatem signa-  
 bat, *alma* scribitur non *bethula*; sicut ma-  
 nifestum esse poterit ex sermonibus pueri  
 Abraham, quos loquitur in Mesopotamia,  
 & dicit: Domine Deus, domini mei Abraham,  
 si tu dirigis viam, per quam ego ingredior,  
 ecce dum scetero super fontem aquæ, Virgo,  
 quæ egredietur, ut hauriat aquam, & dixerit  
 ad eam: Da mihi paululum aquæ, ut bibam  
 de hysia tua; & responderit, & tu bibe, &  
 camelis tuis hauriam: hæc erit uxor, quam  
 præparabit Dominus filio Domini mei. In  
 eo enim loco, in quo ait: Virgo, quæ egre-  
 dietur, ut hauriat aquam, in hebræo scri-  
 ptum est *alma*, id est, virgo secreta, & ni-  
 mia parentum diligentia custodita, aut  
 certe ostendant mihi, ubi hoc verbo ap-  
 pellentur & nuptæ, & imperitiam confi-  
 tebor: Ecce Virgo in utero concipiet, & pa-  
 riet filium. Lib. 2. adversus Pelagianos  
 cap. 2. Omnes hæretici erraverunt, non  
 intelligentes mysterium nativitatis ejus,  
 magisque ad specialem nativitatem Sal-  
 vatoris, quam ad omnium hominum re-  
 ferri potest hoc, quod dicitur: Qui aperit  
 vulvam Sanctus vocabitur Domino. Solum  
 enim Christus clausas portas vulvæ virgi-  
 nalis aperuit, quæ tamen clausæ jugiter  
 permanserunt. Hæc est porta Orientalis  
 clausa, per quam solus Pontifex ingredi-  
 tur, & egreditur, & nihilominus semper

clausa est. Et ad cap. 44. Ezechielis: Pul-  
 chre quidam portam clausam, per quam  
 solus Dominus Deus Israel ingreditur, &  
 dux, cui porta clausa est, Mariam Virgi-  
 nem intelligunt, quæ & ante partum, &  
 post partum Virgo permansit. Etenim  
 tempore, quo Angelus loquebatur: Spi-  
 ritus Sanctus veniet super te, & virtus Altis-  
 simi obumbrabit tibi: quod autem nascetur  
 ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei: Et  
 quando natus est, Virgo permansit æter-  
 na, ad confundendos eos, qui arbitrantur,  
 eam post nativitatem Salvatoris habuisse  
 de Joseph filios, ex occasione fratrum  
 ejus, qui vocantur in Evangelio. Super  
 qua quæstioncula Romæ adversus Helvi-  
 dium illius temporis hæreticum in adole-  
 scentia, non grandem librum scripsisse  
 me novi. Augustinus lib. 4. de Symbolo  
 ad Catechumenos cap. 4. Alvis tume-  
 scit Virginis, claustrum pudoris perma-  
 net, impletur uterus matris sine ullo com-  
 plexu patris: sentit prolem, quæ se igno-  
 rat conjugem. Angelus ad Virginem lo-  
 quitur, a Virgine cor præparatur: Chris-  
 tus fide concipitur. Miraris hæc? Adhuc  
 mirare. Parit mater, & Virgo, facta, &  
 intacta: nascitur filius sine homine patre,  
 qui fecit & ipsam matrem. De sancta  
 virginitate. cap. 4. Ipsa quoque Virginitas  
 Mariæ ideo gratior, & acceptior, quia  
 non eam conceptus Christus viro violatu-  
 ro, quam conservaret ipse, præcipuit, sed  
 priusquam conciperetur, jam Deo dica-  
 tam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indi-  
 cant verba, quæ sibi factum annuntiante  
 Angelo Maria reddidit: Quoniam, inquit,  
 fiet istud, quoniam virum non cognosco?  
 Quod profecto non diceret, nisi Deo Vir-  
 ginem se ante vovisset. Sed quia hoc Israe-  
 litarum mores adhuc recusabant, despon-  
 sata est viro iusto, non violenter ablaturæ,  
 sed potius contra violentos custodituro,  
 quod illa jam voverat. Et Serm. 21. Vir-  
 go genuit, quia Virgo concepit, inviolata  
 peperit, quia in conceptu libido non fuit.  
 Utrobique miraculum: & sine corruptio-  
 ne gravis, & in partu Virgo puerpera.  
 Et in serm. 23. Videte miraculum matris  
 Dominicæ, Virgo concepit, Virgo partu-  
 rit, Virgo post partum permansit &c. Di-  
 gnus enim erat, ut Deo nascente, meri-  
 tum cresceret castitatis; nec per ejus ad-  
 ventum violaretur integra, qui venerat  
 sanare corrupta, nec per eum pudicitia  
 corporalis læderetur, per quem donatur  
 castitas spiritualis. Gaudentius tract. 9.  
 Qui siue corruptela matris conceptus credi-  
 tur,